



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Commentarii Tres in Universam Aristotelis Philosophiam

Crespin, François

Brvxellæ, 1652

Qvæstiuncula prima, quodnam sit objectum hujus Libri.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95346](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95346)

substantiæ, & in Vniuersale accidentale necessarium accidenti, & hæc ulterius, ut ante. 8. Vniuersale accidentale contingens in Vniuersale accidentale contingens substantiæ, & Vniuersale contingens accidenti. 9. Vniuersale accidentale contingens Substantiæ in Vniuersale accidentale contingens quantificativum substantiæ, qualificativum substantiæ, &c. Sed hæc omnia sunt Specie distincta sub allatis, non secus ac sex prima à nobis allata sub Vniuersali essentiali & accidentali, ergò, &c.

RESOLUTIO IV.

XXXXVIII. **D**ico 4^o allata divisio in quinque Vniuersalis Species secundum

Porphyrum, non est immediata.

XXXXIX. Probatur, quia inter illa & diuisum mediant alia in illis non inclusa, ut v. g. *essentiale Vniuersale & accidentale, in quid & in quale*; prædicabilia intrinsecè ut prædicata intrinsecè denominantia, & extrinsecè ut extrinsecè denominantia; prædicabilia separabiliter & inseparabiliter, &c. Sed

I. Petes cur per hos ultimos modos ad species Vniuersalis non descendamus.

II. Respondeo, quia non sunt usitati inter Philosophos; deinde etiam quia non tam variant essentiam Vniuersalis, quam prædicari essentialiter & accidentaliter; nam *album* v. g. & *cognitum*, siue intrinsecè, siue extrinsecè sint prædicabilia, habent eundem prædicandi contingenter modum.

TRACTATUS IV.

D E

ANTE-PRÆDICAMENTIS.

1. **L**IBRUM Prædicamentorum, siue Categoriarum diuisit Aristoteles in tres partes. 1^a continet Ante-prædicamenta, seu præambula quædam ad faciliorem Prædicamentorum intelligentiam valdè conducentia. 2^a Prædicamenta, quæ decem numerantur: *Substantia, Quantitas, &c.* 3 Post-prædicamenta; id est, nonnulla, quorum mentio sæpius facta est inter explicandum Prædicamenta. Priusquam tamen de Ante-prædicamentis agamus, sit

QVÆSTIVNCVLA I.

Quodnam sit objectum huius Libri.

RESOLUTIO.

II. **D**ico res contentæ in decem Prædicamentis sunt objectum huius Libri, non quidem ut talis vel talis naturæ (quomodo sunt objectum Metaphysicæ) sed ut taliter vel taliter secundum rationem superioris & inferioris, Generis, Speciei & Individuorum sub vicem cõordinabilia.

III. Probatur, quia non apparet in quo com-

modiùs constitui possit, ergò, &c. Ex hac conclusione

IV. Colliges, quòd si res prædicamentales quandoque in hoc libro definiantur, non nisi per accedens fiat, videlicet ut aliquoufque habitæ earum notitiâ, aptius cõordinentur secundum prædictam rationem.

QVÆSTIVNCVLA II.

Quis finis intrinsecus huius libri.

RESOLUTIO.

V. **D**ico finis intrinsecus huius libri, 1^{us}, magisq; obuius est remotio cõfusionis à mētē Philo-